

EX METAPHYSICIS

De

FORMALI

TATE,

PRÆSIDE

M. CASPARO Schön /

Eperienti Hungaro

&

RESPONDENTE

JOHANNE BEYERO,

Ortrantino Misnico,

*in celebri Saxonum Academia*

ad ventilandum publicè, dissertatio

proponitur

A. O. R. 1662.

ad d. XXII. Decembr. In Auditorio Minori.

---

Wittebergæ, Plumbo Johann. Haken.

*J. B.*

*a. CVII. 9.*

1. diss. A  
7, 9

IX METAPHYSICIS

FORNALLI

TATE

TABLE

M. CASPARUS

FRONTIS



FRONTIS

JOHANNES

FRONTIS

FRONTIS

FRONTIS

FRONTIS

FRONTIS

FRONTIS

FRONTIS

# FELICITER!



Uod in Horologio Gnomon, in campanâ pistillum, hoc in Ente formalitas obtinet. Quemadmodum Sciathericum sive artificio Geometrico, sive per Sphæram delineetur, sive etiam tandem nobilissimè ille calculus, quem trigonometricum dicunt sumatur in subsidium, absque gnomone tamen vel stylo oleum & opera perditur: & campana quocunque tandem modo moveatur, in altum tollatur, nullus ejus sonus absque pistillo, nullus clangor ad aures pervenire potis est. Ita in Ente non dissimilis habetur ratio; sive enim Ens in universali suâ naturâ spectes, sive Entia hæc ceitata consideres, formalitas cujuslibet mox in limine investiganda venit. Hac sine enim nec Ens percipi, multò minùs describi vel Affectionibus insigniri posse in propatulo est. Ut verò pleraque operosa sunt quæ in foro Metaphysico venalia feruntur, & gravis eorum difficultas mutuos non rarò premit calles, solentque Δύσκολα esse τὰ καλά: ita non levibus certè scatet materies hæc de formalitate, quam in præsentiarum publicæ συζητήσεσι subjicere constitui, difficultatibus. Priusquam verò in naturam ejus liberius inquireamus, Deum nostrum gloriosum ardentibus veneramur precibus, ut nobiscum sit, & nobiscum labore nunc & omni tempore!

## Positio prima.

Formalitas est omnis notio, qua aliquid concipitur.

Ἐκθεσις.

I. Methodus doctrinæ flagitat, ut ea, quæ ad sequentium meliorem atque accuratiorem cognitionem faciunt, præmittantur in ordine proponendi cæteris; quare & nos non abs re

facturos puto, si in decisione quæstionis nostræ, & aliàs feliciter progredi velimus in sequentibus, tum subjecti, tum prædicati contemplationem præmittamus. Non enim, nisi fracto putamine, nucleus degustandus conceditur.

II. Quod itaque formalitatem attinet, vocem ambiguum esse certum est, & æquivocatio cum errorum sit genitrix, ceu tritum audit poëma: Errorum genitrix est æquivocatio semper, in limine mox distingvendum est inter formalitatem illã, quæ omnis notio seu ratio est, quã aliquid concipitur; & illã, quæ tantum gradus rei essentielles denotat, quo sensu à formã, ut pars à toto, distingvi solet, e. g. si quærat quænam sit forma hominis, rectissimè respondetur humanitatem esse: si verò de formalitate collatio instituatur, responsum minimè quadrare cetrum est, sed potius dicendum, animalitatem & rationalitatem hominis esse formalitates.

III. Non confundenda sunt hæc duo, formalitas & forma diversitatem enim quàm maximè sapiunt: posterius enim totam rei essentiam dicit, prius v. est tantum conceptus abstractus ab eadem quam intellectus pro ratione substratæ materiæ effingere solet. Forma namque alia est Metaphysica, quæ aliàs totius vocatur, non ideò, quod specialiter exerceat propriam causalitatem formæ, sed quia rem essentialiter constituit per seipsam: & physicam vel partis, quæ aliàs nomine compositionis apud Scholasticos venit, & sumitur pro principio constitutivo corporis naturalis. Declarabo rem Exemplo; forma totius in homine dicitur humanitas, quæ cum ex materiã & formã constet, totam essentiam vel formalitatem hominis dicit, id enim quod addit humanitati, non est de essentia hominis. Sic in Christo est tota Essentia hominis, quamvis non humana substantia creata. Forma verò partis est rationalitas.

IV. Prætereà hæc forma totius non tantum in rebus materialibus, sed & spiritualibus reperitur. Imò non solum in rebus creatis, sed & in Deo ipso consideratur. Concipimus enim Deitatem ut formam essentialiter constituentem DEum, & quodlibet suppositum divinum quatenus hic Deus est; quamquam

quam illi sit proprium in re ipsa non distingui ab eo, de cuius essentia est, per quod distinguitur ab eâ ratione formæ, quam Essentia habet in rebus creatis. Ergò hæc forma in rebus immaterialibus nihil aliud esse potest, quam earum essentia formalitate concepta. In materialibus verò in eo differt, quod hæc forma totius dicat totam naturam compositam ex materiâ & forma: forma autem partis tantum partem formalem.

V. Hæc autem Forma pro Synonymo naturam habet, certo scilicet respectu. Sic enim tribuimus & Deo naturam divinã, intelligentiis angelicam, hominibus humanam, & sic de cæteris rebus. Deinde hoc modo distinguimus naturam à supposito, vel ex natura rei, ut in substantiis creatis, vel ratione tantum, ut in divina, atque hoc modo dicimus, naturam in Divinis non generare, sed suppositum: & verbum divinum assumpsisse naturam, non personam humanam. Imò unaquæque res per suam naturam habet, quod talis sit, & quod essentialiter distingvatur ab aliis. Ergò consequenter natura rei substantialis adæquatè (ut ita dicam) est ipsa totalis forma vel formalitas, qua talis est essentialiter. Quamquam etiam id pernegare nolimus, quòd natura, ut communiter censetur, dicat ordinem ad operationem, ceu videre est *Dn. D. Calov. Metaph. Div. part. 1. c. 3.* In quo solum differt ab Essentiâ, quòd Essentiæ nomen sumtum est ex ordine ad esse; nomen autem naturæ ex ordine ad operari: Natura enim dicta est, q̄s. aliquid nasci faciat, unde illud natura; *natura non est otiosa, nihilq; facit frustra.* Primum autem & adæquatam principium principale operationum in unaquaque re est Essentia ejus, quòd in rebus immaterialibus manifestum est. In materialibus verò videtur esse forma principium operandi, quòd est principium Formale & Activum. Quia tamen & materia in suo genere aliquomodo concurrat ad quoscunque motus vel actus, tanquam subjectum in quo vel per quod, ideò dixi adæquatam principium principale & radicale esse uniuscujusque rei essentiam. Ergò consequenter ipsamet essentia & Forma totius idem erunt, quòd uniuscujusque rei Natura.

VI. Cum itaque prolixius hactenus de Forma Metaph. ejusq; Formalitate egerimus; restat ut de Forma metaphysica altera, nonnihil dicamus; toto n. cœlo hæc duo differre videntur. Aliud enim est, si quæritur de Formalitate Formæ Metaphysicæ totali, reali, & propriissimè sic dictæ; & aliud, si de Formâ Metaphysica secundum rationem ( quæ rectius ab aliis Formæ Logicæ nomine venit ) ejusque Formalitate instituatur quæstio. Prior enim ex naturâ & supposito est compositio rei ( intellige in creaturis ) h. e. ex iis, quæ in re ipsa aliquomodo actu distinguuntur, ut sunt Natura & subsistentia, de quibus prolixè disputant Metaphysici *uti vid. Dn. D. Calov. Met. part. special.* Posterior verò compositio rationis, quia ejus extrema in re non distinguuntur actu, sed ratione tantùm; hinc etiam diversam sapiunt differentiam, eo quod in priori compositione unum extremum sit tota essentia rei; alterum verò est modus & terminus essentia; In posteriori verò compositione utrumq; extremum est essentielle & neutrum dicit totam essentiam rei explicitè s. actualiter, licet totam illam confusè includere possit. Unde fit ut prior illa etiam dici soleat Forma totalis, realis, ac propriissimè Metaphysica, per quandam Analogiam ad compositionem physicam ex materiâ & forma quam imitatur, quamvis ex se abstrahat à verâ materia. Posterior verò est forma secundum rationem, & ideo non tam Metaphysica, quam rectius Logica vel rationis nominari solet.

VII. Nolumus etiam confundere formam Substantialem, quæ non solum certam habet essentiam, sed & facit, ut res subsistat, propriis stipata sit accidentibus, propriis præsit functionibus & tandem etiam ab aliis suppositis differat, Vocatur alias forma informans: cùm forma Accidentis. Accidentia enim cum Entitatem habeant distinctam ab Entitate substantiæ, propriam etiam ac veram exercent causalitatem formalem: licet asserere nolim, hanc rationem eis univocè convenire; hic enim non alia ratio obtinet, quam quæ in ipso Ente aut de τὸ esse. Nam cum Forma sit, quæ dat esse, & esse, quod dat talis forma, non est Univocè esse, talis etiam forma non erit univocè  
forma

forma vel causa rei formalis. Sicut ergò Accidens verè ac propriè est Ens licet Analogicè; verum etiam ac proprium esse reale habebit, non Metaphoricum, & per consequens etiam veram ac propriè ita dictam formam, licet Analogicè talem. Quanquam non ignoremus multos contrarium defendere, & ipse Capreolus expressè asserit, nullum Accidens habere propriam Entitatem Formæ per quam formaliter afficiat subjectum, sed nudam esse *actuationem in 2. dist. 18. q. 1.* per quã nihil aliud intellectum vult, quam nullum Accidens esse rem distinctam realiter ab Entitate substantiæ, sed modum tantum, quod tamen multis modis repugnare videtur. Quis enim non videt, aërem illuminari nunc & postea amittere lumen. Non verè videt oculis, qui non videt Entitatem aëris ab Entitate luminis l. substantiam potius distinctam esse. Deinde substantia est verè in potentia passiva & receptiva talium accidentium: Igitur è converso Accidentia ipsa sunt proprii actus actuantes & quasi replentes illam capacitatem receptivam ei que inhærēt & ab ea sustentantur. Ergò consequenter habent proprias formas propriamque causalitatem exercent formalem. *Ita B. Jac. Mart. Suarez. aliq.*

II X. Distingvimus inter Formalitatem & Realitatem: Non enim omnis Realitas statim etiam est Formalitas: hæc enim notat essentiam rei; ista vero implicat simul ultimum essendi actum. Sic in Generatione mixti dicitur fieri corruptio Elementorum quoad Formalitatem, non verò statim etiam realitatem. Formalitas enim illa, quã gaudebant Elementa absolute spectata, in mixto non reservatur immutata, sed remanente eadem realitate, Formalitas tota mutabilis est, & mutatur, ut ex Physicis plus satis constat.

IX. Tandem non exiguam diversitatem sapiunt, Formalitas, formalis ratio, de formali & formaliter. Quid primùm sit ex hæcenus dictis satis constat, neque enim juvat crambem toties recoquere. Formalis verò ratio notat vel præcisam, quidditatem rei sine conditionibus materialibus; Non enim idem est, quod rei cuiusdam competit simpliciter sub formali ratione

tione

tione cum eo quod materialiter qua tale vel tale : vel notat  
 ultimam actualitatem rei quæ determinat & materiale ad com-  
 munem rationem contrahi, l. determinari aptum. Sic Genus,  
 materiæ rationem habet, quia est potentiale quid, & actuabile  
 & indifferens ad multa. Differentia verò specifica formæ, quia  
 per hanc Genus contrahitur & determinatur. Inde etiam est,  
 quod differentia ex se perfectior sit quam Genus, quia id quod  
 intra idem Genus se habet ut actus, perfectius est, quam id  
 quod se habet tantum instar potentiæ. Quanquam etiam Diffe-  
 rentia ex nobiliori sumatur principio, in hoc enim est propor-  
 tio inter formam & differentiam, quod sicut forma est perfecti-  
 or materia : ita differentia Genere : & rursus sicut materia &  
 forma reipsâ distinguuntur, ita ut neque una sit alia, neque in-  
 trinsecè alteram includat; sic etiam Genus & Differentia sepa-  
 rantur conceptibus, secundum quos ita distinguuntur, ut neque  
 in conceptu generis includatur actu differentia, neque in con-  
 ceptu differentie Genus, alioquin non esset propria composi-  
 tio Metaphysica, neq; compararentur ut proprius actus & po-  
 tentia, quoniam de horum ratione est, ut se includant, docente  
*Arist. 7. Met. & Topic. 3. Conf. Dn. D. Calov. met. Divin. loc. sup. cit. &*  
*Svaretz. met. disp. 15. s. 11.*

X. De formali autem id dicitur, quod rei in abstracti-  
 one tribuitur, l. in adæquato conceptu rei, præcisus accidenti-  
 bus, respectibus extrinsecis, includitur. Sic de Formali Sub-  
 stantiæ subsistentia dicitur præscindendo à subsistentiâ in se ter-  
 minata, & aliunde dependente. Quod verò non rarò substat  
 accidentibus, id non tam ad substantiam, quam substantiam fini-  
 tam restringitur. Reperitur enim substantia non solum in  
 Entibus creatis, sed & maximè in Ente increato atque ipso DEO  
 glorioso, non verò Accidentia. Neque obstat quod Substantia  
 à substando deducatur ex sententiâ nonnullorum, præprimis Za-  
 barellæ, qui tantum huic deductioni tribuit, ut putet præripere  
 illi, quando à subsistendo denominatur, palmam, in *Tabel. Log. p.*  
*103.* eo quod substare dicatur Accidentibus. Verum dicitur ali-  
 quid substare alteri l. sicut inferius nature communi l. sicut  
 sub-



subjectum Accidenti tradente *Arm. Bell. tract. 2. l. 45.* Ita DE-  
US non participat de Accidentibus licet l. maximè substantia  
sit, substat tamen ceu inferius naturæ communi, ut prolixè hac  
dere *cont. Maccov. Dn. D. Calov. Met. Div. part. special. c. 2. Porism. 5.*  
*disputat. Conf. Ariag. l. m. 4. f. 2. seq. Dan. Voët. de divis. Entis in subst.*  
*& Accid. Oviad. disp. 6. Met part. 1. aliosq;*

XI. Quod tandem <sup>1</sup> Formaliter concernit, illud vari-  
um est, & in oppositione multis modis variat. Opponitur nam-  
que (1) *Materiali*, quando scil. prædicatum inest subjecto pro-  
pter formam aliquam s. formale significatum; & sic forma illa  
causa est cur prædicatum illud conveniat subjecto, ideo subje-  
ctum tum sumitur formaliter, ut observat *Mendoza ad init. Log.*  
*§. 1.* Ita album formaliter sumtum est disgregativum visus: si au-  
tem non propter formam ibi repertam & expressè connotatam,  
prædicatū verificatur, sumitur illud subjectū materialiter: *v. g. al-  
bū est dulce*; albū n. si in suo formali spectes, nec dulcis, nec ama-  
ri, nec etiam alterius cujusdā saporis, affectionē recipere potest;  
Sed si simile prædicatum ipsi tribuitur, tum id non formaliter  
sed materialiter verificatur de Subjecto. Et ideò nec album  
Formaliter adeoq; ratione albedinis dulce erit, sed tantum ma-  
terialiter, ita ut explicetur, h. m. Res, quæ est alba, est dulcis.  
Prolixius hac de re videre est. *Mend. disp. met. 10. Bonsec. instit. l.*  
*8. Forer. disp. de suppos. thes. 5. seq.*

(2.) *Dispositivo.* Dispositivè autem hic passivè ac-  
cipitur, & illud tale dispositivè esse dicitur, quod ad formam  
aliquam dispositionem recipit. Sic rusticus ille, à Genitore  
suo ad Scholam adductus, ut intra horam dum ille suum li-  
gnum venderet, doctor fieret. Primo igitur, secundo atque  
tertiò quadrante nondum formaliter sed dispositivè doctor  
fuit.

(3.) *Objectivo.* Quod verificatur de rerum Existentia. Di-  
versissima enim est Existentia formalis, ab Objectiva, ita ut  
formaliter existere dicatur id, quod revera extra suas causas  
positum

B

positum

positum reale esse obtinet, ut hic homo. Objectivè verò quod per modum objecti cogniti. v. g. virens Rosa, a. cucumis mense Januario. Si a. objectum cognitum nunquam possibile sit, tum existit Objectivè tantum referente *Lor. in proëm. Log. de Ente.*

(4) *Causali.* Hoc modo Formaliter illud tale dicitur, esse, quod tale est, per proprium rei (de qua tum sermo) conceptum, l. per formam sibi conjunctam saltem quoad modum nostrum concipiendi. Efficienter verò atque causaliter, quod per formam in causâ existentem; sic manus non est calida, formaliter calore scil. in fornace existente: sed tantum causaliter. Ille enim calor qui in igne est in fornace existente, causat hunc calorem, s. causa est caloris, qui manum ad fornacem extensam calidam efficit. *Ita Mendoz. loc. sup. cit. Murcia de Generat. disp. 4. q. 5. de Pennasiel disp. summular. ult.*

(5) Non omittendus etiam est respectus *virtualis*, qui locum habet in causis, idque dupliciter (1) Quia res quædam dicitur formaliter causa, quæ revera causa est, differens à suo effectu. Scholasticis dicitur causa secundum se: Quædam verò virtualiter, s. secundum nos, quæ inter se & effectum qui ei tribuitur nullam admittit realem distinctionem, ita tamen à nobis concipitur, ac si causa ejus esset. sic immutabilitas in DEO, est quasi causa æternitatis s. ratio inferendi, per quam probamus æternitatem, licet ratione modi significandi ipsarum vocû quoad nos, de se invicem prædicari non possit, *uti notat Scal. lib. 3. de re poet. & Suar. Disp. met. 15. Connib. & alii.* (2) deinde etiam effectus à causâ formaliter continetur, l. quando ejusdem speciei cum suo effectu est, & quidem ut plurimum in causâ univocâ, ut ignis respectu ignis: l. quando in concreto à suo effectu denominari potest, ut ignis quia formaliter continet calorem, à calore illo rectè dicitur calidus: Quando vero effectus non ejusdem speciei est cum suâ causâ, nec etiam ab effectu formaliter denominari potest, & tamen talis in causâ virtus reperitur quæ possit effectum producere, virtualiter talis dicitur. Sic  
Sol

Sol formaliter non est calidus, itemque ignis formaliter non continetur in calore, sed saltem virtualiter. Ita vult Lorin. Men-Advz. Tan. aliq.

(6) Ultimò non exigua differentia est inter τὸ formaliter & Eminenter. Cum v. Eminentia hæc potissimum in modo continendi verificetur, requisita ex sententiâ Lessi de perfect. divin. duo potissimum notam9. (1) ut continens sit præstantioris naturæ contento. (2) ut id quod minus præstans est aliquomodo in illo præstantiori contineatur & reperiatur, idq; l. tanquam in causa productiva uti putat Albert. M. Tom. 1. punc. 6. n. 2, l. ad modum alicujus similitudinis: Ita scientia l. sapientia eminenter continetur in intellectu divino, l. secundum vim agendi & extendendi se ad objectum, ut nimirum una causa possit facere quicquid alia possit, sic sensus externi continentur in interno, & hic, in intellectu; Itemque anima sensitiva in rationali: l. tantum secundum rationem boni & appetibilis: sic media sunt in fine. Quicquid enim bonitatis in medio est, illud plerunque perfectiori modo est in fine. Ita Aristot. Conferatur Murc. l. de generat. disput. 1.

XII. Quod notionem spectat, illa quoque sub considerationem venit, neque confundenda cum intentione. Non equidẽ ignoro hæc duo non rarò coincidere præprimis si sermo est de notione secunda, interim tamen diversissimam adhuc sapiunt significationem, adeoque si ad forum philosophicum transeas, ibidem intentio actus moralis voluntatis est, ad certum objectum tanquam ad aliquem finem consequendum ordinatus: apud Logicos v. notat intentionem, unde illud natum est: pluribus intentus minor est ad singula sensus, & in hoc ultimo significato æquipollet notioni secundæ. Nos v. cum in thesi dicamus formalitatem notionem esse, eam intendimus, quæ præscindit ab utraque, primâ scilicet & secundâ. Idem etiam observandum est circa τὸ Aliquid quod pari ratione cum aliqua latitudine sumendum est, per indifferentiam enim ad Ens reale atque rationis, hoc loco, restringitur.

Nostri sententia probatur (1) *Ex natura notionis*. Si enim notio medium l. instrumentum est, quo mediante res quævis menti repræsentatur, cur non & formalitas tale dicendum est medium, cum per formalitatem rei, tota Entitas innotescere solet. Ubi enim formalitas rei cognoscitur, ibi res ipsa cognoscitur: neque potest Formalitas concipi, nisi res ipsa prius cognita fuerit. Evidentia propositionis majoris patet ex *Prælect. B. Jac. Mart. Extemp. cont. Keckerman. lib. 1. Log. s. 1. p. m. 22.*

(2) Autoritate Philosophorum, præprimis Scaligeri, qui notiones tales terminos concretos & abstractos dicit, per quas res & rerum essentiæ concipi solent lib. 3. de re pœt. Imò expresse termino hoc barbarico (uti illum vocat) Formalitatis utitur *Exerc. 307. s. 15.* referente *D. Friedlib. in Medall. p. m. 128.* Adeoque putat subtilissimus Scaliger Formalitatem notionem esse, & quidem talem, per quam res quæcunque illa sit, talis l. talis concipitur.

### Positio altera

Negatio Formalitatem propriam, quæ nimirum peculiari descriptione explicetur, rectissimè habere statuitur.

#### Ἐξ γένεσιν.

I. Non unius neque duorum hætenus fuit opinio, Formalitatem Negativam l. Negationis non dari, sed plurimorum, præprimis qui ex scholis Thomæ atque Thomistarum prodierunt, qui ne latum unguè à sententiâ Thomæ secedere, volunt, sed opiniones ejus pro muro habent. Hinc est quod *Petr. Fons. in Op. Met.* putet injuriam maximam inferri Aristoteli, à Scoti discipulis, quod ex propriis Aristotelis verbis, quando dicit: Negationem aliquid esse, eique aliam ab affirmatione Substantiam in esse *lib. 4. Met. cap. 7.* Formalitatem Negationis elicere cupiant.

II. Nos

II. Nos tamen si modo rectè explicetur termino, contrariã ve-  
riorem esse sententiam, asserere, non dubitamus. Distingvimus  
itaque inter Negationem & Privationem, quæ duo (1) in eo  
conveniunt, quod utraque in remotione aliqua consistat, re-  
ferente *Socin. Met. 4.* (2) quod utraque sit extremum alicujus  
oppositionis in rebus ipsis aliquomodo inventæ & non fictæ  
per intellectum, qualis est oppositio privativa, l. contradicto-  
ria (3) quod utraque videatur habere fundamentum aliquo mo-  
do in re, cui tribuitur talis negatio: fundamentũ v. appellamus  
Subjectum cui negatio l. privatio assignatur, & hoc fundamen-  
tum frequentius & facilius reperitur in Negatione, quia cum  
negatio nõ requirit subjectum aptum ad recipiendam formam,  
l. naturam oppositam, fundari videtur in ipsã intrinseca natu-  
rã talis subjecti, ut in homine, negatio hinnibilitatis quasi fun-  
datur in intrinsecã differentia hominis; privatio verò cum  
connotet aptitudinem in subjecto, non potest in illo ut sic, seu  
in solã ejus intrinsecã natura fundari, sed in aliqua alia forma  
seu conditione adjuncta, ut, si homo est cæcus, non fundatur  
illa privatio in præcisa hominis naturã, sed in aliquã parte à  
quã removetur forma, quam negat illa privatio. (3) quia tam  
negatio quam privatio possunt verè & absolutè prædicari de re,  
sine ullã fictione intellectus, quia ex parte ipsarum rerum sup-  
ponitur sufficiens fundamentum. *vid. Favell. Ferar. 1. cont. Gent.*  
Differunt verò in eo quod privatio dicat carentiam formę in  
Subjecto apto: Negatio verò præcisè carentiam sine Subjecti  
aptitudine.

III. Negatio verò alia est *neganter* ita dicta, seu *negans*,  
quæ Negatio est in tota vi Negationis accepta, h. e. prout præ-  
fixa signo l. verbo: est in Enunciatione, & sic totum quod ipsam  
sequitur destruit & ejus oppositum efficit; ut Nullus homo est  
lapis, l. quoddam animal non est irrationale, l. *infinite* ac-  
cepta, quatenus sc. addita voci simplici, ejus tantũ significatio-  
nem negat, omniaque alia dicit. Sic non homo; de formali  
negat naturam humanam, & de materiali dicit, l. Equum l. Leo-  
nem l. bovem l. aliud quoddam animal.

IV. Ultimò, alia est Negatio quæ formam seu Entitatem positivam removet: & alia, quæ nudè rationis est. Nam negatio ut vera remotio est, sic vera negatio est, & nulla fictio intellectus, sed dum intellectus præcisè hominem non esse concipit, illud verè concipit, quod in re est, eo modo quo esse potest sc. l. positivè ac fundamentaliter in Entitatibus extremorum; l. remotivè tantùm, secundum propriam rationem Negationis, quia verè & à parte rei unum non est aliud, etiamsi ab homine non consideretur nec cognoscatur, hinc tali negationi etiam formalitas deneganda non est. Si verò Negatio falsa est, ut si quis concipiat hominem qui non est animal tum illa negatio etiam sub ratione Negationis merè est conficta per intellectum, totumque esse suum in intellectu habet: & huic negationi formalitatem aliquam in esse, serio pernegamus, quia unice Ens rationis est, l. potius negatio rationis. Nam illa etiam negatio præcisè concepta in ratione negationis, non apprehenditur per modum Entis, ideo est quædam negatio per rationem conficta: Negationes verò quæ verè in re fundatæ sunt, reales sunt, & sic per consequens etiam formalitates habebunt negativas reales, quatenus scilicet verè remonent naturas reales; adeoque etiam in illis non est quærenda Essentia l. substantialis l. accidentalis positiva, quia non dicunt rebus in esse aliquid ponendo; sed negativa sc. removendo aliquid in illis.

*Κατὰ θεοῖς.*

Nostra assertio probatur (1) *ex Natura realitatis*. Si enim in Negatione datur aliqua realitas, tum illa aut Entitatem aliquam habebit aut omnino nullam: sed posterius dici nequit, alias enim & privatio Entitate careret, cum in eo convenit cum negatione quod utraque sit extremum alicujus oppositionis in rebus ipsis aliquomodo inventæ, & non fictæ, fatentibus & ipsis Thomistis. Si ergò prius: tum aut formalitas Enti danda erit, aut dicendum est, Ens aliquod dari sine formalitate & per consequens sine Forma, quod posterius falsum est.

(2) *Ex*

(2) *Ex verbis Aristotelis.* Si enim Negatio est aliquid, & quidem diversa ab affirmatione Substantia (Substantiam hoc loco pro ratione seu definitione accipit, ut sæpè alibi) utique etiam formalitatem diversam habebit ab Affirmatione. At verùm prius juxta Aristotelem & Thomistas communiter referente *Petro Fonseca Met. lib. 4. c. 7.* E. & posterius.

3. *Ex ratione oppositi.* Si enim Affirmationi ideo tribuitur formalitas, quod in re fundata fit, negationi etiam ideo formalitas danda est, cum & hæc fundamentum habeat in re ratione sc. negationis, l. remotionis, qua verè & à parte rei unū nō est aliud, etiam si ab homine nunquā consideretur. Et hæc de formalitate dicta sunt, plura equidem diceremus nisi & temporis & paginae rationem haberemus. Igitur

Gloria sit Patri, sit Nato gloria sancto,  
Gloria spiritui, Triadi sit gloria sanctæ.

---

Forma dat esse rei, distingvi, datque operari,

Formale formarum æmulum.

Transcendens docet hæc sapientia, pulchra  
revelans

Discentibus Mysteria.

Vos, ea scrutando tractatis, nobile dogma:

Deus adsit his conatibus!

*Clariss. Dno. M. Præsidi, & Præstantiss.  
Dn. Respond. hæc ominis benignioris ergo scrib.*

JOHANNES Deuschmann/D.

O rectè calidi BEYERE sophismatis uncos  
Disjicis! Optatus, Marte triumphus e-  
rit.

Pergito: Musarum calidis exercite campis,  
Pergito, sic virtus nomen ad astra vehet.

*Amoris ergò  
f.*

M. CASPARUS Schmidt/  
Ecclesiæ VVitteberg.  
Diaconus.



V Erè Camænis vivis idoneus,  
BEYERE, magnâ nec sine gloriâ  
Luctaris : olim qua decebit,  
Premia digna feres laborum.  
En profuturum spero Penatibus  
Hinc te paternis, atq; parentibus  
Ipsis, amicis, proximoq;  
Immò Deo, patriâq; toti.

gratulabundâ mente & manu  
scripsit

Gerhardus Bischoff/Hildesienſis  
Saxo, SS.Theol. & LL. Or. Stud.



coll. d. A. 107, p. 115, 9